



Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XVIII. Quod temporales miseriæ, exemplo Christi, æquanimiter sunt
ferendæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

Ita libenter debes esse inops, &
pauper, sicut plenus, & dives.

3. Domine, libenter patiar pro te,
quidquid volueris venire super me.

Indifferenter volo de manu tua bo-
num & malum, dulce & amarum,
lætum & triste suscipere, & pro om-
nibus mihi contingentibus gratias
agere.

*Custodi me ab omni peccato, & non
timebo mortem, nec infernum.*

Dummodo in æternum me non
projicias, nec deleas de libro vitæ;
non mihi nocebit, quidquid venerit
tribulationis super me.

C A P U T XVIII.

*Quod temporales misericordiae, exemplo
Christi, æquanimiter sunt
ferendæ.*

1. Fili, ego descendī de cœlo pro
tua salute: suscepi tuas miser-
rias non necessitate, sed charitate
trahente: ut patientiam disceres, &
temporales miserias non indignanter
terres.

L 2

Nam

Nam ab hora ortus mei, usque ad exitum in Cruce, non defuit nisi tolerantia doloris.

Defectum rerum temporalium magnum habui: multas querimoniae de me frequenter audivi: confusione, & opprobria benigne sustinui: pro beneficiis ingratitudinem recepi, pro miraculis blasphemias pro doctrina reprehensiones.

2. Domine, quia tu patiens fuisti in vita tua, in hoc maxime, impletando praeceptum Patris tui; dignum est, ut ego miserrimus peccator secundum voluntatem tuam patienter me sustineam: & donec ipse volueris, onus corruptibilis vitae, pro salute mea portem.

Nam etsi onerosa sentitur praesens vita, facta est tamen jam per gratiam tuam valde meritoria, atque exemplo tuo, & Sanctorum tuorum vestigiis infirmis tolerabilior, & charior.

Sed & multo magis consolatoria,

quam

quam olim in Lege veteri fuerat,
cum porta cæli clausa perfisteret: &
obscurior etiam via ad cœlum vide-
batur, quando tam pauci regnum cœ-
lorum quærere curabant.

Sed neque qui tunc justi erant,
& salvandi, ante Passionem tuam,
& sacræ mortis debitum cœlestè re-
gnū poterant introire.

3. O quantas tibi gratias teneor
referre, quod viam rectam, & bo-
nam dignatus es mihi, & cunctis
fidelibus, ad æternum regnum tuum
ostendere:

Nam vita tua, via nostra: & per
sanctam patientiam ambulamus ad
te, qui es corona nostra.

Nisi tu nos præcessisses, & docui-
ses, quis sequi curaret;

Heu, quanti longe, retroque ma-
nerent, nisi tua præclara exempla
inspicerent.

Ecce, adhuc tepescimus auditis
tot signis tuis, & doctrinis: quid

L 3 fieret,

fieret, si tantum lumen ad sequendum te non haberemus?

C A P U T X I X.

*De tolerantia injuriarum, & quis
verus patiens probetur.*

1. **Q**uid est, quod loqueris, fili Cessa conqueri, considera mea, & aliorum Sanctorum passione Nondum usque ad sanguinem restisti.

Parum est, quod tu pateris, in comparatione eorum, qui tam multa passi sunt, tam fortiter tentati, tam graviter tribulati, tam multipliciter probati, & exercitati.

Oportet te igitur aliorum graviora ad mentem reducere, ut leviores tua minima.

Et si tibi minima non videntur, vide, ne & hoc tua faciat impatientia.

Sive tamen parva, sive magna sint, stude cuncta patienter sufferere.

2. Quanto melius ad patiendum te disponis, tanto sapientius agis,

& am
leviu
gnite

Ne
homini
mihi
tulit
quæ
alio
l
vider

Inf
virtu
nec a
gis p
perpe

3.
non
fuerit

Ve
dit a
suo,
riori
ro, v
ercea

Se